



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 136. Petrus Victoria Palma Cayet mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. hic Episcopatus, qui antea Leopoldo
 A. C. 1610. Friderici II. Filio per pacem Pragensem
 erat traditus, Brandenburgico Electori
 in compensationem, pactis Westphalicae pacis, adjudicabatur.

§. CXXXVI.

*Petrus Victoria Palma Cayet
 mortuus.*

*Dupin.
 nouv. Bibl.
 Script. Ec-
 cles. Siecl.
 XVII.*

Ad hunc annum Dupinus in sua Bibliotheca refert obitum Petri Victoriae Palmæ, qui quamdiu Calvinianæ sectæ addictus erat, pro more illius ævi mutato nomine se Cayet, Cahier, seu Carjetanum appellabat. Hic Montichardix in Turonia Calvinistis Parentibus natus, cujusdam Turonensis Nobilis subsidio humaniores literas tanto profectu didicit, ut a sectæ suæ fautoribus Genevæ ad Theologiæ Studia mitteretur, vivente adhuc Calvino, qui genio suo familiari afflatus vaticinabatur, hunc quondam suæ sectæ tum in cunis vagienti valde exitialem fore. Seligebatur ab ipso Henrico IV. tum adhuc Navarrae Rege, ut Catharinam Sororem suam recenti Calvinii dogmate institueret, quo munere functus, atque eidem a Concionibus esse rogatus, sensim ipsemet de sectæ suæ veritate dubitare incæpit, variisque sermonibus liberius

berius prolatis, de Calviniano vaticinio paulopost complendo Hugonottis suspicionem movit; unde hi, ut Ecclesiam suam a pessima fæce liberatam fuisse gloriari possent, in vulgus spargebant, quod Cajetus Magicam artem profiteretur, & de erigendis prostibulis libellum edidisset: Nec contenti, ut ipsum *Petrum Magum* vocitarent, insuper sub horum criminum obtentu in quodam Conciliabulo ipsum exauctorabant. Nemo unquam ipso lætior erat, moxque ejurata Calvini hæresi Parisiis anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo quinto ad Romanæ Ecclesiæ gremium regressus est, aggratulante eidem ipso summo Pontifice Clemente VIII. Demum ab Henrico IV. Rege Rector ac Orientalium linguarum Professor renunciatus, quinto post anno Doctoratus laurea decoratus est, eodemque tempore suæ conversionis rationes expositurus, librum vulgabat, cui titulus: *Adhortatio Christiana & valde utilis ad Nobiles Gallos adhuc ab Ecclesia Catholica segregatos*, quem tamen tractatum Rotanus Calvinista refellere nitebatur; Cajetus quoque hac occasione vulgabat tractatum *de Eucharistia, de vero sensu Missæ Sacrificii*, necnon *monita circa controversa Religionis capita*. Anno autem post Christum natum millesimo

Sæc. XVII.

A. C. 1610.

Sæc. XVII. lesimo quingentesimo nonagesimo septimo
 [A. C. 1610. mo] librum, cui titulus, *Calvinus*
per seipsum damnatus ex ejusdem scri-
 ptis collectum, Carolo V. ac universo
 Imperio nuncupabat: Quinto post anno
 publicam habuit disputationem ad quin-
 decim dies protractam cum Petro Mo-
 linæo, quem Calvinistæ a Cajeto devi-
 ctum haud negabunt, cum de eo asse-
 rant, quod Cajetus se diabolo manci-
 passet, ea lege, ut in suis contra Cal-
 vinistas disputationibus semper victor
 ac triumphans recederet. Utut autem
 sit, id pro comperto habemus, quod
 Cajetus circa hoc certamen publici ju-
 ris fecerit. I. *Veram succinctamque ex-*
positionem quæstionum in hac disputatione
agitarum unacum responso ad calumnio-
sum Calvinistæ Molinæi libellum. II. *Acta*
hujus Colloquii. III. *Vindicias ac decre-*
tum veritatis adversus Archibaldum Scotum.
 Præterea Cajetus alium adversus eun-
 dem suum Adversarium elucubravit
 tractatum, sub hac inscriptione: *Ca-*
minus ardens pro evaporandis excissimis a-
quis Siloe, & corroborandis purgatorii flam-
mis. Denique inter Polemica ejus ope-
 ra recenseri meretur illius *defensio Sa-*
crificii Missæ per Syllogismos Christianos,
& rationes ex Sacris literis petitas: Scri-
 pserat hunc tractatum anno Domini mil-
 lesimo sexcentesimo tertio. Præterea
 de

de rebus suo ævo gestis concinnabat Sæc. XVII.
Historiam de bello Hungarico inter Turcas A. C. 1610.
& Christianos: quinto autem ante obi-
 tum anno scripserat *Chronologiam Sep-*
tenariam de Historia pacis inter Franciæ &
Hispaniæ Reges: postea vero *Chronolo-*
giam novennem circa bellum sub Regno Hen-
rici IV. Omnia hæc opera Gallico ser-
 mone prodire; latino enim nonnisi suas
 elucubrabat *institutiones præcipuarum qua-*
tuor linguarum Orientalium, Arabicæ, Sy-
riacæ, Armenæ & Ethiopiæ. Tandem
 in Collegio Navarrensi, ubi per plures
 annos degebat, die vigesima Martii
 mortalitatem exiit, sepultus in Æde
 Sancti Victoris.

§. CXXXVII.

Francisci Fevardentii obitus.

Alter ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui Labb. dis-
 hunc annum sibi funestum habuere, sert. de
 erat P. Franciscus Fevardentius patria Script. Eccl.
 Normanus ex Ordine Fratrum Minorum tom. I.
 Theologus ac Facultatis Parisinæ Do- Dupin. l. 6.
 ctor, qui sermone & opere potens non
 modo Hæreticorum dōgmata, sed &
 Catholicorum mores in suis concioni-
 bus acriter inlectabatur, ac fervente
 ligæ Gallicæ æstu linguam suam contra
 ipsos etiam Galliæ Reges Henricum III.
 & IV. vehementer, sed minus sobrie Pa-
 risiis